

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Ultimus Honor Magno Medicinae Statori, Viro Illustri,  
Domino Melchiori Sebizio, Medico Doctori, professori ...**

**Sebisch, Melchior**

**Argentorati, 1674**

[urn:nbn:de:bsz:31-136610](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-136610)









ULTIMUS HONOR  
MAGNO  
MEDICINÆ STATORI, 49.  
VIRO VDM  
ILLUSTRI, bl.  
DOMINO  
MELCHIORI SEBIZIO,  
MEDICO  
DOCTORI, PROFESSORI,  
EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO,  
SACRI PALATII CÆSAREI  
COMITI  
MAGNIFICO,  
AUGUSTÆ REIPUBLICÆ  
ARGENTORATENSIS  
ARCHIATRO  
MERITISSIMO,  
VENERANDI COLLEGII THOMANI  
PRÆPOSITO  
AMPLISSIMO,  
MEDICORUM NESTORI,  
VIRO  
UBIQUE  
OPTIMO, MAXIMO,  
QUI VIVERE DESIIT VIII. CAL. FEBR.,  
SENEX FERE CENTENARIUS,  
DEVOTA MENTE  
EXHIBITUS  
A  
COLLEGIO  
STUDIOSORUM MEDICINÆ.

---

ARGENTORATI,  
Literis GEORGII ANDRÆE DOLHOPFFII,  
Imprimebat JOHANNES Schütz.  
ANNO MDC LXXIII



**I**lustres cantare viros, celebrareq; versu  
Digno, digna polo, radiantia lumina mundi,  
Mens excelsa potest. Solius dicere laudes,  
Laudati res ista viri est; celebranda requirit  
Et vatem celebrem virtus excelsa; Poetas  
Heroës habuere suos, qui facta canebant  
Ardua sublimes, atq; æquo carmine gestis.  
Magnifico sic ore loquens decantat Achillem  
Mæonides reliquosq; Duces, sic scripta Maronis  
Æneam sociosq; canunt. Sed carmine pergant  
Heroas jaclare suos! SEBIZIUS unus  
Sufficit illustris, CUI laudes alter Homerus  
Dicat, vel Latia Marcus lux magna loquelæ.

Quid tennes tentatis EUM memorare Camænæ  
Nunc nostræ? QUEM fama tulit, dum viveret, inter  
Sidera, QUEM pietas post mortem, hoc æmula fame,  
Collocat in cælis, ac astra hoc sidere complet.  
HIC nobis nunc carmen erit. Splendore coruscus  
Omnis laudis adest, si quæ dat nobilis ortus  
Nomina cernamus, vel gloria Gente vetusta  
Inquirenda venit, produxit nobile NOSTRUM  
Germen, & antiquo est pugnacis natus Ilingæ  
Sanguine, qui Jadrum cum Buro biberat acri.  
Suscepit genitum celebri magnoq; Parente  
Argentina, spei certæ venerabile pignus,  
Et decus aucturo jam tunc Academia voti  
Compos gaudet EO, lætosq; hinc personat hymnos.

Accrescunt anni, cum Spiritus altior inter  
Omnes effulget, sibi quos doctrina juventem  
Tum dederat socios, velut inter sidera surgens  
Luna minora micat major, juvenisq; senili

Ingenio



Ingenio famæ certissimus IPSE futuræ  
Fam suus est vates, cum mentis dona loquuntur,  
Et divina VIRUM cœlestem munera produnt.

Famq; videns & Diva suum, gaudebat Hygeia,  
Quæ multis renovat spem vitæ, fata retardans  
Mortis, sublimi mox æthere talia fatur:

HIC mihi natus erit, vitæ productor humanæ,  
Qui felix patrioque reget medicamine gentes.

HIC vivet tibi, Parca, gravis, stygiique carina  
Nautæ nulla gemens umbrarum pondere, porro  
Undas accipiet multas, cum nauta carebit

Nunc mercede sua. Morbos aget ille triumphos  
Fati Victor ovans, seclique novæque salutis

HIC reparator erit. Præstabit HIC arte Galenum  
Et reliquos artis Proceres ac Lumina, secli

Hippocratesq; Sui Cous redivivus in orbe

Audiet, atque senem divum veneranda senectus  
Reddet, ut IPSE suâ vitâ testabitur artis

SE lumen Medicæ. Sic postquam Diva locuta est,  
Conticuit tandem, pressoque obmutuit ore.

At magnus Noster VIR quam feliciter omne  
Complet, quemque sibi Dea jam speraverat alma,

Exequitur. Tum facta probant, quæ lumine digna  
Cerni sunt concessa domi. Famque exteris orbis

Expectat, cumque IPSE cupit peregrina videnda.  
Scilicet haud patriæ solum inter mœnia fama

Est conclusa latens; sed ut omni clarior orbi  
Sit, terras mutans, alieno Sole calentes

Invisit populos, peregrinæ plurima gentes

Admirantur EUM, tanto lætę hospite, fronte

Excipiunt hilari, sic ILLUM prompta fovebat

Gallia



Gallia culta diu. Sed adhuc quo major in arte  
Luceat & studiis lux, fertilis Itala tellus  
Divino ingenio pergrata alimenta ministrat.  
Nostratis nomen quoq; Regna Britannica norunt  
Lustrata, & Belgæ juvenis Respublica visa.  
Quantum debebis, quantum Germania Nostro?  
Qui laudes secum ecce tuas vectabat in omnes  
Fines, perlustrans terras atque æquora circum.

Sic varias portatur honos & nomen in oras,  
Dum varios peragrat tractus. Illustrior inde  
Gloria surgit adhuc ILLI, sublimia quando  
Undiq; scripta volant patulum revolantq; per orbem,  
Æmula Scriptori mortem terrentia scripta,  
Non moritura fugant mortem, revocantq; salutem  
Afflictis, quos morbus habet, dum nectare multos  
Erudiunt ægris medicamina fida daturos.

Quantus HIC ergo fuit VIR? quo non amplius orbis  
Dignus censetur. Heu nunc! oracula Phœbi  
Cum VIR Magnus obit, terris cessare videntur.  
Est tamen est Nostri jam divus in ore superstes  
Spiritus, atq; animâ Magni, qui facta PARENTIS  
Æmulus exsequitur, GNATI, Quem Juppiter ævo  
Prolixo det stare VIRUM, quod & omnis in orbe  
Pæonia vovet artis amans, quodque æmula nostri  
Posteritas voti voveat, celebretque, canatque!  
Donec divinus Patrio immiscetur Olympo,  
Et Patrio fulget cum sidere: duplicis Astri  
Lucida Biga vibret radios. Sic fama perennet (semper,  
SEBIZIORUM ingens magnorum, & splendida  
Æthereo signata stylo, cernatur in astris!









